


SLUB Dresden  
zell  
Hist.  
Sax.B.  
180,2  
058 MAG

Zell 1, 17058, MAG, P3

LAVRENTII REINHARDI,  
ILLVSTRIS GYMNASII SAXO-VINARIENSIS  
CONRECTORIS,

DE MERITIS DVCVM SAXONIAE  
STIRPIS ERNESTINAE, MAXIME  
VINARIENSIVM, IN RELIGIONEM  
ET ELEGANTIORES  
LITTERAS,  
 PROGRAMMA.

---

*EDITIO SECVNDA*  
ET ERRORIBVS TYPOGRAPHI-  
CIS, QVIBVS PRIOR ~~OB~~ MORBVM AVCTO-  
RIS SCATEBAT, LIBERATA, ET NE-  
CESSARIA OBSERVATIONE  
AVCTA.

---

VINARIAE,  
STANNO MVMBACHIANO.  
M DCC XXXVI.

Sax. B

80,2

Weimar

*Hist. Sax. eccl. 739*

\* \* \*      \* \* \*      \* \* \*

**M**erita Ducum Saxoniae, stirpis Ernestinae, quibus sanctam religionem & elegantiores litteras harumque officinas ornarunt, tanta sunt, ut grata posteritas satis laudibus illa extollere nequeat. Sub Ducum & Electorum Ernestinae stirpis praesidio sacra emendata fuisse feliciter, & puritatem sacri evangelii nobis restitutam esse, post perillustrem *Vitum Ludovicum de Seckendorf* nostro aevocopiose demonstrarunt *Jo. Joach. Müllerus, Jo. Casp. Funckius, Wilh. Ern. Tenzelius, Christ. Aug. Saligi-  
gius, Ern. Sal. Cyprianus & Phil. Frid. Hanius.*

§. II. JO. FRID. MAGNANIMVS, cuius magnitudinem animi frangere nihil poterat, amissa academia VVittenbergenli, novum religionis purioris bonarumque artium asylum condidit Jenæ, ibique vagis & dissipatis Musis sedem mancipavit: quam illustrem academiam hodie edictis, curis & consiliis suis praecclare suffulciunt Nutritores & Serenissimi & munificentissimi, ita, ut in omnibus ordinibus doctores eam hodie illustrent immortalibus digni laudibus. Alunt hi etiam, una cum regia & electorali AVLA DRESDENSI, Gymnasium *Schleusingenſe* liberaliter.

§. III. Magnanimi posteros egregie de religione & optimarum artium disciplinis fuisse promeritos,  
*b. Jo.*

*b. Jo. Seb. Mülleri annales Saxonici* abunde testantur: quibus nihil fuit carius, nihil antiquius, puritate doctrinæ & melioribus litteris.

§. IV. Inter omnes Musarum sedes scholasticas, quæ & Saxoniam & totam Germaniam illustrent, eminet *illustre Gymnasium academicum Coburgense*, quod a Serenissimi conditoris nomine *Casimirianum* cognominatur, cuiusque historiam descripsit *b. D. Godofredus Ludovici*. Hoc ut post tot fata in meliorem nunc redigatur statum & maiorem adipiscatur celebritatem, in id omni cogitatione omnique cura incumbit Serenissimus Princeps FRANCISCVS JOSIAS, Dux Saxonix, cuius eximiam prudentiam & in consiliis capiendis felicitatem grata posteritas summis efferet laudibus & elogio ornabit singulari.

§. V. ERNESTI PII, quem universus colit orbis terrarum, posterio optimarum artium officinas, *Gothæ & Altenburgi* exstructas, præcipua munificentia conservarunt; id quod eorum nomina commendavit æternitati. *De meritis Ducum Gothanorum in Augustanam Confessionem & bonas litteras* peculiaris exstat oratio *Georgii Kreckemeyeri*: & profecto Serenissimus Dux FRIDERICVS III. qui iam reipublicæ onus sustinet, maiorum suorum merita non tantum exæquabit, sed etiam superabit, cum sit Princeps excellentissimæ pietatis, egregiæ sapientiæ, & eximix iustitiæ.

) ( 2

§. VI.

§. VI. Serenissimos Duces *Isenacenses* religionem & humaniora studia singulari semper amplexos fuisse amore, & edicta eorum testantur, & illa celebratissima clementia atque munificentia, qua schola Isenacensis in Gymnasii fastigium evecta est. Quid? quod Serenissimum Ducem VVILH. HENRICVM, iam regnantem, recte *Musarum statorem* vocamus, quod *Rectoris Magnificentissimi academice Jenensis* curas non deposuit, cum regiminis onus gravissimum fusciperet.

§. VII. Serenissimos Duces *Meinungenses*, præter amorem religionis, etiam studia, quæ ab humanitate nomen sortiuntur, amavisse, testatur *lyceum provinciale*, Meinungæ conditum, quod præcipue sub moderamine *J. A. Krebsii* & *J. M. Weinrichi* floruit.

§. VIII. Serenissimi Principes ac Saxoniae Duces ERNESTVS & ERNESTVS FRIDERICVS, Hildburghusæ anno MDCCXIV. *Academicum* condiderunt *Gymnasium*, illudque insigni cum pompa consecrandum curarunt. Constitutiones *lectionum* & *exercitiorum*, ab illustri *D. Stempelio* & *b. D. Buddeo* litteris consignatas, etiam exteris, immo ipsis Anglis, placuisse, quilibet cognoscere potest ex *b. Pastoris* Dresdensis *C. A. Hausenii glorioso Electorum Ducumque Saxoniae Busto*. Mira ibi confluebat semper equitum Franconiae & Saxoniae inferioris multitudo. Sed,  
proh

proh dolor! Gymnasium tam bene constitutum, tantisque ornatum doctoribus, ex quorundam consilio, anno MDCCXXVII. fataliter corruit. Ego ipse postremo tempore provinciam professoris *eloquentiæ*, *Græcæ linguæ* & *poëseos* ordinarii in eodem administravi.

§. IX. Quos pro dignitate primo loco laudare debueram, *Duces Vinarienses*, eorum merita ultimo loco collaudabo. Eos omnes religionis fuisse tutores & Musarum statores, supra laudatus *Müllerus* in *analibus* suis ostendit. Vicit hos & quam longissime vicit Serenissimus Celsissimusque Saxoniae Dux *ERNESTVS AVGVSTVS*, cui *STRENI* cognomen merito vindicatur, & in peculiari dedicatione a me vindicabitur. Huius *instructio pastoralis* in *b. D. Gottl. Slevogtii* compendio iuris ecclesiastici, erudita præfatione illustris *D. Bæhmeri* ornato, omnibus commendatur Principibus & consistoriis.

§. X. Indulgentissimi huius Patris patriæ amor in elegantiora studia eorumque sedes variis modis est declaratus. Nam non solum an. MDCCXII. communibus cum Serenissimo Patruo sumtibus *illustre hoc Gymnasium* condidit; sed etiam, cum solus rei-publicæ præesse cœpit, *de emendando Gymnasio* statim præclare fuit sollicitus, ut formam plane novam illud induisse videatur.

X 3

§. XI.

§. XI. Specialia ut commemorem, ordinis exigit ratio. Eliminato *D. Hutteri* compendio theologico *novas theologiae institutiones* conscribi iussit: qua in re bene suis consuluit. Namque theologia thetica fundamentalis hauriri debet ex dictis & dictionibus biblicis: *Hutterus* raro habet definitionem adæquatam & accuratam: in ipso loco de Christo & alibi apud Hutterum non desunt (\*) errores: multa dicta ab eo allegata rem propositam plane non probant: nihil proponit de ordine salutis, quæ tamen doctrina, hoc præsertim ævo, prorsus est necessaria; ut alia silentio prætermittam. Neque defuerunt theologi *ὁρθόδοξοι*, qui de insufficientia compendii Hutteriani sunt conquesti. Ipse *b. D. Mich. Henr. Reinbardus*, qui postea Serenissimi GÜNTHERI SAPIENTIS, Schwarzburgici, primarius fuit theologus, cum olim Hildburg-

---

(\*) Errat utique libri *didactici* auctor, qui Christo duplex tantum officium tribuit, gradus utriusque status Salvatoris minus distincte tradit, & in commemorandis tribus generibus communicationis idiomatum non illum observat ordinem, quem & sacra scriptura Joan. I, 14. & historia ecclesiastica suppeditat: qui locum *de scriptura* ieiune proponit, & existentiam Dei argumentis rationis non confirmat: qui *pœnitentiam* postponit *iustificationi*: qui media salutis, *verbum & sacramenta*, non docet coniunctim: qui principia salutis confuse docet & doctrinam *de gratia Spiritus S. adplicatrice* prorsus negligit; qui denique consummationem sæculi iudicio extremo præponit.



burghusæ theologiam doceret, definitiones *Kænigianas* & *D. Scherzeri breviculum theologicum* cum *Hut-*  
*tero* coniunxit.

§. XII. Deinceps conscribi & doceri in supremo ordine iussit *philosophiam eclecticam*, sectariam vero procul voluit abesse. *Cursum* etiam *historicum* ita proponi iussit, ut supremi ordinis iuvenes & *universalem* scirent *historiam*, & *specialem Imperii Romano-Germanici*, nec non *historiam specialem regnorum ac statuum Europæ*: quod institutum nuper per illustri cuidam viro, cuius divinum ingenium in historiarum campo regnat, cum anniversariæ Gymnasii lustrationi interesset, admirationem iniecit; id quod commemoro auditores meos inflammandi causa.

§. XIII. In primis coli vult studia humaniora optimus Princeps; sed ut misceantur severa iucundis, constituit *matheseos doctorem peculiarem*, *magistrum artis saltandi*, itaque *linguæ Gallicæ & Italicæ magistrum*. En tanta sub ERNESTO AVGVSTO Gymnasium nostrum cepit incrementa!

§. XIV. Paremus ergo Principi, qui Musarum patronus est munificentissimus. Cui cum nuper Calendis Octobris natus sit PRINCEPS HEREDITARIUS optimæ spei plenissimus, CAROLVS AVGVSTVS EVGENIVS; de tanto munere divino,  
finitis

finitis puerperii hebdomadibus, *ad diem XIV. No-*  
*vembris* HORA IX. MATUTINA nomine & verbis Gymna-  
sii OPTIMO PRINCIPI gratulabor, simulque *de stu-*  
*diis Principum Imperii* disseram. Ad quam oratio-  
nem benevole audiendam *Illustrissimum Mæcenatem,*  
*litterarum Patronos ac Fautores, omnesque,*  
*qui optimis studiis amici sunt,* pie, ob-  
servanter & amice invito.

P. P. die XII. Novembris A. O. R. MDCCXXXV.



H. Saxe B.  
180



